

~~10~~

VILLA SYRONIS.

*All' Museo Museo
Chigi farney
nuovo dell' N.*

VILLA SYRONIS

CARMEN

ALAFRIDI BARTOLI

VILLA SYRONIS.

IN CERTAMINE PORTO HOEPTIANE

MAGNA LATITUDINE

ARTIFICE
APUD ROMA-GRUM

1.7

VILLA SYRONIS

CARMEN

ALAFRIDI BARTOLI

MELITENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM.

AMSTELODAMI
APUD IO. MULLERUM.

MCMXII.


VILLA S. RONIS

HENRICO MAGRO

MELITENSIS ATHENAEI PRAESIDI SACRUM

VILLA SYRONIS.

Vid. Virgil. *Catalec.* X.



Iam cursu lassum trepidumque fuga hospita vatem
haud ignota quidem excipiunt penetralia villae.

Ipsae parens oculis captus natuque minores
sunt gemini fratres. Patrio namque ille coegit
exagitans migrare novus possessor agello;

Arrius ille vetus ius sustulit, ille colonos
detrudit veteres una gnatosque patremque.

Quin etiam ferro paene hausit barbarus ipsum,
cui non profuerunt musarum sacra, poetam:
profuit aggresso insolitis impune lacertis
amnis, mox tenera praetextus arundine ripas.

Non hoc, Vare, quidem misero, non talia vati
de te praestiterat natum Syrone magistro

dulce sodalitiū, nec amor tua dicere facta!

Parva sed accepit memori modo cognita cordi

extorrem domus: huic tuto sua pignora credens

„Villula, quae Syronis eras et pauper agelle...”

infit, et effugium subtristi carmine donat,

multa quod antiqui ingeminat praecepta magistri.

Scilicet haec animo, Publi, complexus ad omnes

mente recurrēbas comites sociosque laboris,

cum tibi Syronis sapientia portus aventi

extitit una valens euris defendere navem.

Syronis nunc immeritum iactante procella

ipsa domus iam portus adest, in tuta per omnes

devocat extractum casus, dulcisque iuventae

singula quaeque viro narrans recreatque fovetque.

O ubi nam comites quot quot revocare videtur

villula! quam multos diversae in munia vitae

abduxit rerum series heu longa sodales!

Urbe alius cessit librisque hiat arma relictis,
incertaque petit vario discrimine pugnas;
in patriis alius degit modo rusticus agris,
ipse soli vertens incurvo vomere glebas,
ipse susurranti deducens tramite rivos;
ad rostra hic gentem facili tenet ore togatam;
publica sortitus sancti pars ille senatus
munera multus obit populi columenque decusque.
Est quoque cui niteant dulces ante omnia Musae,
cui rigui placeant imis in vallibus amnes,
pastorum tenui adlectet quem fistula cantu,
inque suas rapiat romana potentia laudes.
Hic noster nempe, exactae quem carmina vitae
ad meliora dabant operum molimina natum.
Mens alit illa tenax, animus complectitur illa
iam commenta diu secum: locus ipse revisus,
in durisque petita domus sic rebus adaugent
ingenium faciuntque novas in carmina vires.

Talia sentit amans, vacuas dum sedulus aedes
lustrat et adiunctum tecto qui subiacet hortum,
nec minus interea gratum, viridaria quanquam
urticis cessere malis, atque ordo viarum
omnis abest, floresque olim perfundere hiantes
fons suetus tremula huc illuc aspergine stagnat.
Hinc narcissus abest vitreis conterminus undis
quondam, mutata solem non virgo figura
spectat, nec laurus placidis admurmurat auris.
Omnia sed comitum, veteris sed plena magistri
omnia sunt animo, senior cui rursus adesse
discentesque simul iuvenes praecepta videntur.
Hic Macer et Varius fuerant et carior illis
Gallus, nunc pariter non contemnenda per Urbem
nomina. Tum volucres subeunt herbaeque videnti,
tum memori lugent tua funera, Caesar, amico,
tum nitet heu vati nimium dilecta Lycoris!

Talia dum solus repetit queriturque suae se
prospexisse parum famae, cui laevia tantum
condita sint versu (generosa pectus in illos
uritur invidia!) tristi quos lumine campos
prospicit et nulli iam pridem culta colono
arva per amissos tam dira sorte penates
abducunt animum ac funesta per omnia versant.
Quae tamen ingenii cupiens se prodere virtus
fervet et intus alit iuvenum praecordia, magnum
nescio quid vati felix dat habere futuro.

Iamque aderat nox; et cubitum discesserat una
cum natis senior, fessosque oblivia rerum
lenibant somno tacitasque in pectore curas.
Tu maiora agitas quam cui subrepat ocellis
nunc sopor et dulci solvantur membra quiete;
nam tibi per placidam vigilanti plurima noctem
se obiciunt, Publi, tua quae mox excita dicat

vis animi, numerosa sonet facundia linguae.

O patriae fines, o dulcia rura relictæ,

fluminaque argutis semper celeberrima cœnis;

et vos, pastores, et vos ad mulctra capellæ,

et vos alternis dicentes rite Camenæ,

quonam vos mentem atque animum repetentis anhelum

tunc moerore premi, gemitus quos fundere credam?

Per tamen obductos oculis in talia fletus,

lux uti quæ tenues transmittat vivida nubes,

quam multæ tremula veniunt sub imagine formæ,

per lacrimas aliquid spectatur dulce tuenti.

Est patriæ luctus, rapti sunt nuper agelli,

pauperis et tuguri tristes sub corde querelæ;

sunt ovium curæ, atque hilari certamina cantu

pastorum, quæ inter resonant arbusta cicadis,

et tereti crepitat decurrens unda lapillo.

Omnia sed vexans rapuit discordia cives!

o utinam sua mox redeant solacia silvis,

atque iterum neglecta tenax labor arva revisat!

Iam satis exhaustum bellorum; iam satis asper
sanguine perfusis Mars est bacchatus in agris!

Telorum tandem, densus qua campus, aristae
excipiant segetem, gladius concedat aratro;
ipsa suas adfectet opes Saturnia tellus!

Huc etenim iam fata vocant, quam traditus urguet
arvorum cultus, laudem cui versa ligone,
saucia vomeribus durisque exercita rastris
terra parat, veterem rerum frugumque Parentem.

O utinam, seros quamvis, me vate, nepotes,
me tantum Ausonidas maneat decus auspice gentes!

Tum positis bellis sollertes una colonos
gloria, felices sua tum bona nosse iuvabit
agricolas: versare solum et dare semina glebis,
ducere aquae rivos frondesque incidere falce,
ne pecus afficiant contagia pingue, cavere.

O iterum mihi laeta novalibus arva, satisque

aequora subleni, velut unda, fluentia vento!
o mihi pampinea ridens in collibus uva,
postmodo quae multis spumet vindemia labris!
o deserta meo repetens praesepia cantu
agmen, ut hyblaeo cellas mox nectare stipet!

Ecce autem haec meditans dulcique in munere totus,
quod sibi mandari patria virtute videtur,
ipse domus subita turbatur imagine lapsae,
et, quo depulsus tot adesse pericula sentit,
praedioli, et fratrum casu veterisque parentis
praecipue torquetur amans: ante omnia cordi
est illi senior: victum tenet intima somno
cella, hauritque tamen suspiria natus anheli.
Huic qui mox decori, nuper fuit ipse saluti
cervici imposito, Minci dum flumina tranat;
nunc tibi commissum, Syronis villa, tuetur
sedulus, et patria vigilat pietate sopito.

Quaenam curae animo subeunt, nullamque per artem
exculi meminit quam multa hortamina patris,
in studia et monitus nunquam contempta, sed aptas
nulli parcendo pretio quaesita per urbes!
Care senex, qua te meritum nunc filius ambit
anxietate vigil, magno gaudetque periclo
cernere servatum, quod erit non parva putanti
laus illi: etenim vati re natus ab ipsa
quem canet ille pius romanae gentis in ortum
Aeneas; se dicendae pietatis alumnum
vidit et exemplar patriae, catus unde poesis
adflatum sumit tantarum exordia rerum.
Nam pater est visus servati in imagine patris,
cui iam iam, silvas egresso et rura, disertum
fert animum digno Romam concludere versu.
Roma suum Troianis urbs vocat orta ruinis
praeconem, exilia et tantos a clade labores
qui tristi nomenque viri usque ad sidera tollat.

Hic sibi quae acciderint, quae in caro facta parente,
nescio quid solemne sonant et pectora mulcent;
his nempe expressus pietate vir inclitus adstat!
Tum captam insidiis volvi fumosa per urbem
clamores inter magnosque incendia luctus;
armorum audiri crepitus, multaque madere
caede vias, bacchari antiqua victor in arce;
tum deserta diis ruere alto a culmine Troia!
Haec inter labens supremo tempore limen
obicitur nutansque senex, et reddita nati
verba pii resonant; cara tum sede relicta,
haud siccis oculis et numina sancta precatus
Aeneas pondus sublatum dulce parentem
in tutum recipit, medius per compita perque
conreptas hinc inde domos avulsaque flammis
tecta, per et celeres quacumque ex hoste sagittas.
Hanc in se expertus speciem dum fervidus omni
complectens animo totoque ex pectore cernit,

„Haec” ait „haec nostra pietas sit laudis origo:

hinc nobis Latiae surgant cunabula gentis.

Et tibi, Roma parens, rerum pulcherrima Roma,

insignem pietate virum iuuet esse parentem,

ducere et in populos hinc morem rite regendos.

O utinam, tantus fuerit cui conditor, urbem

ipse canam, te Roma potens, super aethera tollam,

inque meo talis vivat pietatis imago

carmine, et aeternum mihi sit laudata decori!”

Haec velut in somnis gaudet dum paene tueri,

tota quiescebat villae vicinia, nulla

aptior illa animo fuerat meditantibus hora.

Noctis erat medium, caeloque infusa sereno

in patrem vigili lucebant sidera vati.

ADNOTATIONES.

- v. 4. Vid. apud Donatum in Virg. vit. VI.
- v. 6. Cfr. ibid. X et ad Virgil. Eclog. IX, 2—4.
- v. 10. Hoc tamen aliter alii tradunt.
- v. 11. Cfr. ad Eclog. VII, 12.
- v. 14. Vid. Servium ad Eclog. VI, 13; et Virg. ad Eclog. IX, 26—29.
- v. 22. Vid. ad Catalect. VII, 6.

TYPIS JOH. ENSCHEDÉ ET FIL — HARLEMI.
